



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

62. An qui habet in manu sex digitos coniunctos vel diversos, si non habet impedimentum in usum membri sit irregularis? Et an hoc arbitrio Episcopi relinquendum sit, si hæc deformitas inducat ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ipsa Sacramenti materia. Alia verò sunt Sacramenta quæ habent pro materia rem aliquam inanimatam, ut Baptismus aquam; Ordo instrumenta tangenda; Eucharistia panem, & vinum; & sic de cæteris: & hæc possunt pueri, aut amentis validè conferri; quia eorum valor non pendet à voluntate suscipientis.

## RESOL. LXI.

*An mulier, quæ erumpente ipsa natura in masculinum transiit, possit Sacris ordinibus initiari, inconsulto Summo Pontifice?*

*Et quid de Hermaphrodito, in quo prævalet sexus virilis?*

*Et an ordinatus sub prævalente virili sexu, si postea feminæ prævaleat, & de facto proferat verba consecrationis panis, & vini supra debitam materiam, valide consecraret?* Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Resol. 36.

Sup. contēto  
in hac Ref.  
in 10.4 tr 8.  
Ref. 112. per  
tot.

**P**osse hoc evenire, & sæpius evenisse, testatur eruditissimus Torrelblanca in *Pract. juris Spirit. lib. 5. cap. 9. num. 20.* ubi sic ait: Quare non solum incallescendi vis immutatur viris, & feminis; sed naturæ quoque instrumenta sunt inversa, quia non modo nati infantes; sed ætate etiam procrecti in omnium oculis ex feminis Mares facti sunt, ut docent Hippocrates lib. 6. *Epidemiar. c. 8.* Galenus, lib. de usu part. & lib. de Anatom. administr. Aegineta, Avicenna, Rasis, & alii non contemnendæ lectionis. Quod ut verum omnino, & Philosophiæ consentaneum, rationique conformè apud varias nationes contigisse testes oculati fatentur, tam antiqui, quam recentiores; nam apud Chafios accidisse Anamistæ uxori Gorgippi, & Spoletanæ mulieri, & aliis, narrat historiarum Princeps Titus Livius ab urbe condit. lib. 42. plura Bauhin, ubi sup. Ut de muliere Cajetæ, quæ per quatuordecim annos nuptia piscatori, in virum migravit & de Emilia, quæ Antonio Spensæ nupta civi Ebulano post annum nuptiarum XII. in virum mutata, quæ soluto matrimonio, uxorem duxit & filios procreavit, ut narrat Iovian. Pontan. in hist. Neapolitan. Cocceius Sabellicus lib. 9. exempl. Anton. Torquemat. in hort. dial. 1. Apud Lusitanos in oppido Ezgucyra Maria Pacheco, cum ejus ætatis esse inciperet, quæ feminis mæstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, & locis ei membrum virile erupit, sicque ex puella subitq. adolescens ephæbus apparuit, & cum sexu vestitum virilem, & nomen assumpsit, vocatūque est Emanuel Pacheco, ut narrat Amatus Lusitanus cent. 2. cur. 39. Apud alios tamen similia contigisse in hæc verba testatur Plegeton Miral. lib. 1. Virgo quædam Smyrnæ nata Philotis nomine, cum natura viro tradita esset à Parentibus, masculino enato membro in virum evasit. Quin, & Loadicæ, quæ est in Syria mulier Aetæa nomine etiam nunc cum marito degens, & femina vir extitit, cui nomen Aetæus præfide Athenis Marino, Romæ Confl. L. Lamia, & Aliano veteri. Hucusque Torrelblanca.

Sup. hoc in  
xcl not præ  
teritæ, § Ad  
quid & in  
rom. 7. tr. 1.  
ref. 341. pro  
p. fin. a vers.  
igitur.

**2.** Hoc supposito, ad quæstionem propositam, affirmativè respondet Pater Leandrus, de Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 5. §. 7. Probatur Primò, quia talis olim femina, nunc verè est Vir: ergo potest ordinari. Secundo Hermaphroditus in quo prævalet sexus virilis, secundum Hurtadum de irregul. disp. 2. difficult. 14. & alios, potest ordinari: Ergo etiam & dicta mulier jam vir facta.

Sup. contēto  
in hoc, &  
seq. § into. 4.  
tr. 8. Ref. 112.  
§. 1. per tot.  
& in §. Ad  
quid.

**3.** Sed his omnibus ego non assentior; & mecum consentit doctus, & amicus Pater Lezana in Summa tom. 4. verb. irregularitas, num. 13. & 14. ubi sic ait: Ad hanc speciem irregularitatis reducitur illa, qua affecti sunt hermaphroditi, id est habentes utrumque

sexum masculi, & feminæ. Hi enim sicut alii monstrii irregulares omnino sunt. Nam si æque polleant utroque sexu vel femininus prævaleat, omnino incapaces Ordinum sunt, cum non sint viri, sed feminæ, vel neutrum. Navarrus supra num. 203. Sayrus lib. 6. cap. 8. Cornejo supra disp. 12. Si verò in ipsis prævaleat masculinus sexus, licet absolute tales capaces Ordinum sint, quia sunt verè viri, quia tamen indecens omnino est, quod ad Altaris ministerium assumatur talia monstra, maxime si defectus publicus sit; idè admitti non possunt ad Ordines Sacros, nisi ex Papæ dispensatione similiter de femina in virum conversa (quem casum sæpius contigisse historici narrant) idem dicendum est, absolute scilicet esse incapaces Ordinum, cum re vera talis persona masculus sit. Cornejo, & Bonacina supra ex Suarez; Filiucio, & aliis. Non tamen ullatenus admitti debet ad illos, propter maximam indecentiam, quæ esset, quod in Altari minister is, qui aliquando femina fuit, ita Lezana.

**4.** Et quidem de Hermaphrodito ita fert communis sententia contra Hurtadum, ut glossa, & Archidiaconus in cap. Si testis verb. Hermaphroditus, 4. quest. 3. Navarrus cap. 27. n. 203. & consil. 8. de avar. & qual. ordinandor. Suarez disp. 51. sect. 1. num. 1. Sayrus lib. 6. de heret. c. 8. n. 24. Bonacina tom. 1. disp. 7. §. 2. punct. 2. num. 15. quia negari nequit eam monstruositatem indecentiam continere, in quo defectu nullus alius à Pontifice dispensare potest, ut alios referens notat Avila par. 7. de censur. disp. 3. dub. 5. Castus Palaus tom. 6. disp. 6. punct. 12. num. 1. & Mezla in 3. part. Instit. Peregrin. lib. 7. cap. 1. quest. 3. num. 13.

**5.** Ad argumentum Patris Leandri, respondeo; Mulierem illam, quæ natura erumpente transiit in Virum, verè esse virum: ergo potest ordinari; nego Consequentiam; quia est quidem Vir, sed cum maxima deformitate, & indecentia: ergo eget dispensatione Pontificia. Et idem assero de Hermaphrodito, quod etiam præter Doctores citatos tenet Dicaltillo de Sacram. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 20. num. 292. qui postea numero 293. curiosum dubium proferit, an Or. Sup. hactenus sub prævalente virili sexu, at postea femineus prævaleat, si de facto proferat verba Consecrationis panis & vini supra debitam materiam valide consecraret? Et opinionis affirmativæ tanquam probabilior adhaeret: Nam licet ad primò conferendam potestatem Sacerdotalem, & characterem, requiratur sexus virilis, saltem prævalens: tamen ad retinendum characterem semel in anima impressum, non videtur requiri, neque ad retinendum potestatem. Imò à paritate non viator possumus argumentum sumere; si enim non viator retinet suum characterem, & potestatem quam acceperat dum viator esset, eamque non amittit, quia acceperat in tempore, quo erat capax accipiendi; ita similiter in Hermaphrodito philosophandum est. Pro parte verò negativa videtur facere, si non institutio ipsa Sacramenti, (quæ in fieri consistit, & quando Sacramentum fiebat subiectum erat capax:) saltem institutio gradus Sacerdotalis, quæ virum requirit, ut talem gradum habeat, nec enim Christus instituit Presbyteras, sed Presbyteros. Unde fit, actionem illam consecrandi non habere effectum, quia actio consecrandi debet fieri à Presbytero, & illa, cum sit simpliciter femina, non est Presbyter.

## RESOL. LXII.

*An qui habet in manu sex digitos conjunctos, vel diversos si non habet impedimentum in usum membri, sit irregularis?*

Et in hoc arbitrio Episcopi relinquendum sit, si hac deformitas inducat irregularitatem? Ex p. 3. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 61.

**R**espondeo negativè, dummodo non addit magna deformitas. Ita Tabiena *ver. corpore vitium*, num. 2. Sylvestre *eodem ver. quasi*, 3. num. 4. Avila *de censuris*, part. 7. disp. 13. dub. 1. coroll. 3. Henriquez *in summa* lib. 14. c. 8. num. 3. Filiaci *tom. 1. tract. 19. c. 6. num. 165*. Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tr. 2. c. 5. sect. 1. n. 46*. Campanili *in diver. jur. can. rubric. 11. c. 17. n. 113*. Belletus *in disquis. cler. part. 1. § 7. num. 33*. Sayrus *de cens. lib. 6. c. 8. n. 2*. Bonacina *de cens. disp. 7. quest. 2. punct. 1. num. 11*. & alii communiter.

2. Dices, quando hæc deformitas inducat irregularitatem, cuius arbitrio relinquendum est? Respondeo Episcopi ex c. 2. *de corpore vitium*, & ibi glossa cum Abbate, Butrio, & Cardinali, & ex Neotericis docent Ioan. de la Cruz *in directorio conscient. par. 2. tract. de irregular. dub. 2. concl. 2*. Molina *de just. tom. 4. tr. 3. disp. 70. num. 5*. Suarez *de censuris*, disp. 5. tr. 1. sect. 3. num. 16. Navarrus c. 27. num. 200. Menochius *volum. 1. conf. 99. num. 30*. & 31. Seraphinus *decis. 625. num. 4*. & alii.

3. An verò in casu nostro de quo consultus fui, addit magna deformitas, ut diximus, non est nostrum definire: sed si iudicium meum promere circa hoc adstrictus essem, responderem negativè, & ita intellexi à quodam Episcopo in simili casu fuisse dictum, & dispensatum. Adde quòd consulens ita abscondere potest in celebratione Missæ hunc defectum, ut circumstantes illum difficulter videre possint, & solum si ministraret aliis sanctissimam Eucharistiam appareret, quam functionem consulens facile potest omittere, salvo semper, &c.

## RESOL. LXIII.

Quis in rixa præscindit alteri digitum, queritur, an sit irregularis?

Et quid est dicendum de illo, qui alteri abscindit auriculam, dentem, nasum, testiculos: vel mammillam feminæ, an incurrat irregularitatem?

Et notatur posse contingere, quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & e contra, & pro præxi adducuntur duo casus. Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 20.

**C**ajetanus, & Sotus apud Sayrum ubi infra affirmativè respondent, & novissimè docuit hanc opinionem, cum aliqua limitatione, Doctor Suarez in 3. p. tom. 5. disp. 44. sect. 2. n. 9. ubi ait. Non reputatur sufficiens ad inducendam irregularitatem, abscissio unius digiti, si sit alter ex duobus minimis, de quolibet autem aliorum mihi videtur res satis gravis, & ad minimum dubia, & dispensatione indigens. Putant igitur hi Authores ad irregularitatem satis esse, si pars quæ abscinditur specialem ad principalis membri munus cooperationem habeat. Secundò probatur hæc sententia. Nam si aliquis caret pollice, esset irregularis. Ergo, & qui pollicem abscindit, irregularis erit.

2. Verùm mihi contraria sententia probabilior videtur. Dico igitur absolutè non esse irregularem qui præscindit digitum, etiam contra Suarez, si esset pollex, vel index. Ita Sayrus *de cens. lib. 6. c. 15. n. 15*. & præter Doctores quos ipse citat, docuerunt etiam hanc sententiam Avila *de cens. disp. 5. sect. 2. dub. 1*. Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 10. § 14. num. 4*. Filiaci *in 99. mor. tom. 1. tr. 20. c. 1. n. 14*. & c. 9. n. 235.

Bonacina *de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. n. 8*. & alii. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi propter mutilationem alienius membri, sed digitus non est membrum, ut probat Bartolus, & DD. in l. publicorum, ff. de publ. iud. & alii apud Salzedum *in pract. crim. c. 101. fol. mihi 475*. Ergo, &c. Restat modò respondere ad argumenta contraria.

3. Ad primum dico, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet distinctum officium ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum, &c. si autem non habet speciale officium, quamvis opem ferat aliis, non dicitur propriè membrum. Probatur ex Auct. lib. 10. *de part. anim. c. 5*. dicente, quòd membra sunt in corpore operationis gratia. Et colligitur etiam ex D. Paulo 1. *Cor. 12*. dicente, quòd membra in corpore distinctam habent operationem: sed quia irregularitas, ut diximus, incurritur (& est certum) tantum propter abscissionem membri: ergo, quia sumus in pœnalibus, non erit extendenda ad abscissionem partis, licet principalis, & accessorie alicujus membri.

4. Ad secundum dico cum Covar. in *Clem. si furiosus*, p. 3. in initio, n. 8. corollar. Navarr. Henriquez, Filiacio, Sayro, Avila, & aliis communiter, posse contingere quòd quis efficiat alium irregularem, & ipse non maneat irregularis, & e contra. Exemplum primi, ut qui præscindit alteri nasum, vel pollicem, ut in casu nostro, non manet irregularis, quia nasus, vel pollex non est membrum, & tamen præscissus manet irregularis. Idem est in eo qui impressit alteri cicatrices in vultu cum magna deformitate. Exemplum verò secundi est: ut qui præscindit alteri membrum virile, iste enim sit irregularis, quia mutilavit membrum: & tamen sic præscissus (si contingat absque propria culpa) non sit irregularis, c. ex parte, el. 1. *de corpore vitium*. Notent Confessarii, non esse etiam sup. his præ irregularem, qui abscindit mammillam feminæ, vel parte in Ref. seq. §. vi. à auriculam, id est, cartilaginem, quia solum deferuit princ. usque ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem, vel testicul. ad med. & in culos, absque membro genitali, vel nasum, ut ex §. 2. ad lin. Henriquez vult Avila ubi supra disputat, 3. dub. 1. quia 4. & inf. in istas partes, ut diximus de digitis, non sunt membra. Ref. 66. §. ult. Vide DD. citatos.

## RESOL. LXIV.

An qui mutilavit alterius pollicem, sit irregularis?

Et quid dicendum est de illo, qui alteri abscindit auriculam, id est, cartilaginem, ungues, dentes, testiculos, barbam, capillos, labia, vel mammillam feminæ; vel qui excecavit hominem, cum privando solo visu, non autem illi oculum extrahendo; & tandem qui non abscindit, sed tantum debilitat membrum, & reddit illud inutile? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 26.

**A**ffirmativè respondet Cajetanus in 2. 2. Sup. hoc in 9. 68. art. 1. & Sotus *de just. lib. 5. quasi. 2. Ref. præteri-* art. 1. quia putant illud esse membrum, quod habet officium disjunctum, vel conjunctum cum aliis membris, ut est digitus.

2. Sed tu contrariam sententiam tene. Nam membrum propriè dicitur illa pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus, ut sunt oculus, manus, pes, auris, membrum virile, &c. non autem digiti, etiam pollices, ungues, dentes, testes, barba, capilli, labia, &c. ita tenet Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 21. difficult. 19. num. 4*. Hurtado *de irregul. disp. 2. diff. 5. num. 18*. Præpos. in 3. part. quest. 5. dub. 10. num. 71. & alii, quos citat & sequitur Bonacina *de cens. disp. 7. quest. 4. punct. 8. n. 3*. qui nostram sententiam de pollice in terminis tenet, sicut etiam